

Franckesche Stiftungen zu Halle

Examen Solemne d. IX. & X. Octobr. Ann. MDCCXXX. In Schola Latina In Orphanotrophei Glauchensis Et Sex Ordinis Selecti Civium Ultimos Sermones De ...

Lateinschule zu Halle

[Erscheinungsort nicht ermittelbar], [1730?]

VD18 13487345

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:33-1-199767](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:33-1-199767)



129 D. 7

1. J.

2. J.

3. J.

4. J.

5. J.

6. J.

7. J.

8. J.

9. J.

10. J.

11. J.

12. J.

13. J.

14. J.

15. J.

16. J.

17. J.

18. J.

32. Q. F. F. Q. S.
EXAMEN SOLEMNE

d. IX. & X. Octobr. Ann. clā 1700 xxx.

**IN SCHOLA LATINA
ORPHANOTROPHEI GLAUCHENSIS**

ET

**SEX ORDINIS SELECTI CIVIUM
ULTIMOS SERMONES**

DE

**EVANGELII AD INDIOS
PROPAGATIONE.**

UT

**LITTERARVM PATRONI ET FAVTORES
BENEVOLA PRÆSENTIA CONDECORENT
EA QUA PAR EST OBSERVANTIA
ROGANTUR.**

EXAMEN SOLEMNE

IN SCHOLA LATINA
ORPHANOTROPHI GLAUCHENSIS

SEX ORDINIS SELECTI CIVIUM
ULTIMOS SERMONES

DE
EVANGELII AD INDOS
PROPAGATIONE

UT
LITTERARVM PATRONI ET FAVTORES
RENOVA TRASSENTIA CONDECORENT
EA QUA EST OBSERVANTIA
ROGANTUR

G. F. SELIG

Permagni interest & reipublicae temporumque
felicитatis & singulorum qui litteris operantur priuatae
utilitatis, ab omnibus scholasticae vitae cum acade-
mica commutationem bonis auspiciis, recte & sapien-
ter fieri: quae, si intempestiue, male & sinistro omi-
ne suscipitur, dici non potest, quam sit perniciofa, & ad irrepa-
rabile damnum salutis inferendum comparata. Habet enim hic
ad altiora studia transitus incredibilem vim & efficaciam in ado-
lescentum animos, mores, studia, fortunam, & vitam denique
omnem. Quod & per se nemini obscurum esse potest, qui iu-
uentutis ingenia vel leuiter norit, & luculentis exemplis illu-
stratur, quorū noui homines in academias commigrant & ci-
uitate donantur. Summa igitur cautione, ne quem illius muta-
tionis vnquam poeniteat, prouidendum est. Prouidetur autem
felicissime, ni toti fallimur, si, & quo tempore, & qua ratione
ex scholis ad academias transeundum sit, sollicitè cogitur.
Vtrique & tempori & modo sua ratio constet necesse est, adeo
ut illi aequè male suis rebus consulant qui vel intempestiue, vel
praepostere in hoc genere agunt.

Tempestiuam e scholis emigrationem facit & aetatis & pro-
fectum, quam quisque consequutus est, maturitas. Prudenter
olim Romani, sapientissimi mortales, pubertatem, & togae prae-
textae cum virili commutationem certis annorum limitibus de-
finiuerunt, arbitrati rariùs naturam ordinaria annorum spatia
anteuertere. Quae nec nostris temporibus ita a seipsa recessit
ut in ingeniorum maturitate per saltus eundo se praecipitet, &

fructus satis coctos vna cum flore virescente ferat. Non quidem adeo arcte cohaerent annorum progressionem, cum ingeniorum incrementis, vt, non nisi cum barba, & ad illius succrescentis mensuram, vires intellectus maturescant. Ne in corpore quidem staturae accessiones illam annorum proportionem aequaliter obseruant. Plerumque tamen puerili aetati deest prudenter de rebus iudicandi dexteritas, vnde & pueriliter, hoc est inepte vivendi ratio in pueris maiorem, quam in adultioribus excusationem habet. Ad academicam vero vitam, quam necessaria sit haec dexteritas, nemo ignorat, cum in homine idem sit quod in naui gubernator, quam, illo destitutam, mari & tempestatibus permittere, esset periculosissimum. Ipsorum quidem annorum, quos exspectare oporteat, determinationem nostri iudicii esse negamus, omni tamen asseueratione affirmamus a praematura maturitate cauendum esse sedulo, nec facile aetatis veniam dandam esse ad academiam aufugituris.

Ne quis tamen barbam in academiae candidatis sufficere existimet, profectuum simul mentionem adiecimus, vt qui maximum ad hanc rem momentum habent. Ipsa scholarum inferiorum & superiorum distinctio videtur a maioribus, cordatis & prudentibus viris eo consilio facta, vt singulae suos labores sua studia sibi propria vindicarent, nec quis ad altiores superiorum scholarum auditiones admitteretur, ante tirocinia in inferioribus recte posita. Qua re cautum esse voluerunt vt omnes propaedeuticis litteris nondum initiati profani haberentur, & ab adytis ac penetralibus scientiarum, illarumque sacris violandis arcerentur. Cuius instituti obliuionem magna eruditionis iactura & mira rerum confusio inlecuta est. Cognatione enim & naturali vinculo inter se iunctae sunt & copulae disciplinae ad vnam omnes. Elegantiorum inprimis litterarum ea est conditio, ut ad superiores scientias viam pandant, ingenia praepararent

rent & illis carere nemo possit qui in grauioribus doctrinis proficere illasque sibi familiares reddere velit. Quam ob rem spatiofissimus illorum studiorum, quae ab humanitate nomen trahunt, ambitus ante decurrendus est in scholis, quam aditus ad altiora tentetur. Oleum is perdit & operam in academiis, qui, ab his litteris imparatus, ad reliquarum mysteria praepo- pera festinatione auolat, & reconditis disciplinis temerario ausu immiscetur. Non magis ad domum, quae aetatem ferat, exstru- endam fundamentis opus est, quam his subsidiis ad solidam eru- ditionem comparandam. Praeclare de re litteraria ageretur si omnes academiae candidati linguas scitu necessarias callerent: latinam ita sibi conciliaissent, ut non solum latina, sed latine et- iam latina scriberent & loquerentur: graecam, gallicam, & si quis sacris litteris olim operam esset daturus, hebraicam quo- que addidicissent; historicarum & cognatarum litterarum gnari es- sent: theologiam ad omnes vitae casus, & ipsam aeternitatem, cui nascimur, maxime necessariam, ac philosophiae, instrumen- tis certe, ut vocatur, elementa imbibissent: nec mathematicis doctrinis penitus destituerentur. Quae tamen non ita intelli- gi volumus, ac si ignoraremus miram ingeniorum & scholarum diuersitatem multiplicem etiam profectuum diuersitatem parere. Excitatiores adolescentes illos terminos longissime migrant, quos hebetiores vix, ac ne vix quidem consequuntur. Misera quoque scholarum quarundam conditio multos infra debitam profectuum menturam subsistere cogit. In illorum iniuriam haec verti minime debent, quibus talem Corinthum per has causas, valetudinem & alias temporum calamitates adire non licet.

Jam vero, si, cum illis quae haecenus dicta sunt, nostri temporis mores contendamus, bone DEUS! quam misere in deterius omnia ruunt! quanta confusio, ut reliquos ordines ita

& litteratum, reliquis scilicet oculatiorem inuasit, in hoc mundi senio, ubi dudum in consuetudinem abiit, nihil tempestive facere! Peccatur autem in utramque partem & cunctando, & velocius festinando. Rariora tamen illorum exempla sunt, qui maturitatem & annos ad studia accommodatos praeterire patiuntur, omnem aetatis florem in scholis, seu, ut rectius dicamus, in choro musico & paedagogiis consumunt, ac de stipe merenda & vita commodius trahenda quam de studiis prosequendis solliciti magis, academicam peregrinationem tunc demum meditantur, cum ingenium iam debilitatum & effoetum factum est. Cunctabundi hi homines, dum in se solos iniurii sunt nec turbas publicas facile excitant, excusati peccant aliis, qui se suaeque studia praecipitant. Quod parentum saepe, saepius tamen ipsorum puerorum culpa fit. Multi enim parentes vel ad rem attentiores sumptibus pareunt, vel gloriolam ex filiorum praecoci eruditione captant, vel honores ab illis adeundos iam ambitiose distribuunt, vel indulgentius ipsorum lubidini gratificantur & crudos filios in academias protrudunt. Verum multo frequentius ipse iuuenilis pruritus, morarum impatiens, in academiam prorumpit. Variis de causis, ut est puerorum ingenium varium & multiplex, iter hoc adeo acceleratur. Aliis petulantioribus speciosus libertatis titulus arridet, quare frena mordere assueti, effrenem licentiam, vitiorum ac debacchationum impunitatem quaerunt. Alii gloriae cupidores arbitris remotis sui iuris fieri & domini haberi volunt, ac nescio quid futuri sibi videntur si gladio alligatis, nemini de via cedere, neminem salutare liceat. Alii ambitiosam excelsioris & praecoci ingenii famam affectant, aliis persuasuri se ultra communem mortaliū mediocritatem maturius sapere. Alii litterarum librorumque heluones plura ingurgitare & omnem eruditionem citius deuorare posse sperant in tanta collegiorum, scholarum, auditio-

ditionumque multitudine. Alii desidiaē patroni plus otii & feriarum sibi promittunt, si nemo instat diligentiam exstimulaturus. Alii tandem animi leuitate abripiuntur, quotidiana fastidiunt & consueti laboris pertaesi, ex variatione delectationem capturi, aut commilitones profectiones secuturi, ante tempus ad academiam proficiscuntur. Incredibile dictu est, quam longe lateque serpat haec lues, quantamque perniciem saluri publicae inferat. Solet enim de plurimorum salute conclamatum esse, qui pueri in iuuenum studia immissi, dum solito citius ex ephebis egressi videntur, puerilitatem in academiam, & quod peius, in omnem vitam transducunt, praesertim cum plerosque pudeat, etiamsi ad se redierunt, ad puluerem scholasticum redire. Non vna vero huius miseriae indolis est. Nam multi qui studia academica suas vires superare deprehendunt, & de damno resarciendo desperant, vel cuticulam curant, saturnalia quotidie agunt, misso litteris omnibus nuntio, vel, ne ignorantiam prodant, patientissime, nec sine censoriae grauitatis specie triennium lapis lapidi insident, & tandem studia nondum tractari coepta absoluunt, ineptiores facti quam ante fuerunt. Alii excitatores omnem lapidem mouent & operose in eo elaborant, ne tempus in academia frustra praeterfluat, sed cum ignorant quid distent aera lupinis, multa indiscrete, in spem futurae obliuionis addiscunt, & ea anxie corradunt, quae olim dediscere oporteat. Aut vt cum grammatica & elegantis, quas, vt viles & labore indignas res, alto supercilio ante contempserant, in gratiam redeant intomnes noctes ad lucernam agunt & per ambages difficillime eo perueniunt, quorsum facilius & felicius in scholis per mutuas interrogationum & responsionum vices atque elaborationum aemulationes contingere potuissent. Sed vela iam contrahenda sunt. Quare de recto huius ad academiam transitionis modo, has duntaxat leges ponamus.

I. Ca-

I. Caveant noui coloni, ne maius & augustius, nec tamen minus & leuius quam par est, huic mutationi pretium statuunt. Nam qui maioris faciunt, illi subito toti alii sibi facti videntur, fastu tument, pedem in alio orbe posuisse somniant & pristina quacuis ex alto despiciunt. Illi contra, qui minus aestimant, toti iidem manent, nec cogitant aliam vitam alios mores postulare. II. A DEO noui laboris & decursus primordia capefiant. Illum sibi ducem ac moderatorem sumant. Ipsi vota nuncupent exacto hoc cursu soluenda. Quo enim periculosior est illa periodus, eo religiosius mala precibus auerruncanda sunt. III. Minus sibi iam licere existiment quam ante. In alios igitur modestiores fiant, ut ingenuae liberalitati conuenit, in se ipsos vero multo seueriores. Circumspectione & longa deliberatione opus est, ne quid temere, inconsulte & tumultuarie agatur. Quamdiu pueris nil praeter obediendi gloriam relinquitur, male & imprudenter actorum culpa maximam partem in paedagogum deuoluitur, quo remoto, omnis in adolescentem redundat. IV. Litterarum studia nec prorsus eadem continuent, nec tamen longioribus spatiorum diuoritiis remota adgrediantur, sed sensim ad noua & sublimiora adscendant. Et parata tueri virtus est. V. Vitae scholasticae rationes accurata memoria recolant & subducant, ut illas res, vnde damni quid ceperunt, cautius euitent & veteres scopulos tutius praetereant, atque ab ipsis detrimentis vtilitatem capiant. VI. Prouideant tandem ne suo sensu abundant & se solos duces sequantur neglectis aliorum monitis.

Ita vero & nobis & huic scholae nostrae fausta & fortunata cuncta eueniant, uti serio optamus, & ardentissimis precibus precamur, ut quotquot ex hac bonae mentis sede, in academiam prodeunt, prodeunt autem tanquam ex equo Troiano, ingenti quotannis multitudine, tempestiue, pie & sapienter emigrent.

Quae

Quae nostrarum partium sunt illorum nil reliqui facimus, monemus, obsecramus, hortamur & per sacratissima quaecumque obtestamur nostrae curae concreditos, ut caute his discriminibus se permittant. Si qui morem gerere recusant, dolemus, si qui obtemperant, gaudemus. Ad hos posteriores referendi sunt, ut de nonnullis certo nouimus, de reliquis speramus, eximii adolescentes, qui iam sarcinas colligunt & emigrationem parant. Vnus ex illis ALEXANDER GOTTLIEB BAUMGARTEN, supra annum sex menses in ordine selecto transigit, & bonam sui expectationem omnibus fecit. Reliqui quatuor SAMUEL ZORN, qui morbo, ex quo aegre conualuit, a sermone constituto habendo impeditur, JOACHIMUS FRIDERICUS ALBRECHT. JOANNES FRIDERICUS HEYMELL & JOANNES FAHRLAND annum cursum in hac suprema classe confecerunt, officiis suis multo studio diligenter defuncti, ad quos accedit LUDOVICUS GVILIELMUS a LANGENAU, qui post semestre spatium in hac classe bene exactum hinc euocatur. Illi ut solemnius scholam cum academia commutent, & quam diligenter, caste ac prudenter in studiis scholasticis versati sint atque ad academiam maturuerint, omnibus probent, una cum exercitio oratorio quaedam lectionum specimina publice dabunt. Quae cum examine reliquarum scholae classium ita coniunguntur, ut primi diei horae matutinae selecto ordini tribuantur, reliquis lustrationibus declamationes quorundam primae classis ciuium, inter quos nonnulli academiam adibunt, immisceantur, eo ordine quem sequentes tabulae exhibent.

)(

ORA-

ORATIONES & EXAMINA CLASSIS SELECTAE.

I. EXAMEN THEOLOGICUM DE REGENERATIONE.

LUDOVICUS GVILIELMUS a LANGENAU, Silesius, *studium Friderici IV. Reg. Dan. in propagando euangelio celebrabit carmine germanico.*

II. EXAMEN LOGICUM DE VERITATE PROBABILI.

SAMUEL ZORN, Thalea-Magdeb. *de Anglorum meritis in propagationem euangelii dicet latine.*

III. EXAMEN LATINUM ex Ciceron. libr. I. Act. II. in Verr.

JOANNES FAHRLAND, Dobruno-Palaeo-March. *religionem pontificiam & paganismum Damulicum inter se comparabit germanice.*

IV. EXAMEN PHYSICUM DE ADFECTIONIBVS CORPORUM.

JOANNES FRIDERICUS HEYMELL, Cassellanus, *missionarios pontificios & euangelicos inter se conferet latino carmine.*

V. EXAMEN ORATORIUM DE ACUTA DITIONE.

JOACHIMUS FRIDERICUS ALBRECHT, Seehufa-Palaeo-Marchic. *b. Ziegenbalgium & b. Grun- dlerum laudabit latine.*

VI. EXAMEN POETICUM ex Horat. Carm. libr. IV. Od. IV.

ALEXANDER GOTTLIEB BAUMGARTEN, Berolinas *de felici inter magna impedimenta euangelii propagatione dicet carmine latino, & suo ac commilitonum nomine scholam valere iubebit.*

JOANNES MICHAEL LEVINUS WETZEL, Onoldinus, *de officiis Christianorum circa propagationem euangelii aget & commilitonibus in academiam abituris gratulabitur latine.*

DECLA-

DECLAMATIONES

primi ordinis ciuium.

- I. CHRISTIAN GOTTLOB HEERMANN, Magdeburg. *cogitationes pias in deambulatione subnatas proponet carmine latino.*
- II. JOANNES VLRICUS SCHWENTZEL, Magdeburg. *de gloriae humanae vanitate dicet latine.*
- III. ADAM THEOPHILUS NEUBAUR, Halensis, *de locustis tanquam exercitu DEI aget versibus latinis.*
- IV. JOANNES KAGEL, Gardelegiensis-Marchicus *universam naturam summi numinis armamentarium esse demonstrabit poemate latino.*
- V. JUSTUS JOACHIMUS HOMEIER, Magdeburg. *tenuitatem cognitionis humanae declarabit latine valedicturus.*
- VI. JOANNES CHRISTOPHORUS KECKE, Martisb. *causas exiguae apud multos eruditionis exponet latine.*
- VII. JOANN. SIGISMUND. AUGUSTIN, Calbenfis *valedicturus veram rerum diuinarum cognitionem omnem eruditionem humanam longe antecellere probabit latine.*
- VIII. JOACHIMUS LEONHARDUS HERMES, Vckero-Marchic. *contemptum mortis stoicum & Christianum proponet carmine germanico.*
- IX. CHRISTIANUS FRIDERICUS SCHMERWITZ, Conariensis *utilitatem chartae laudabit latine.*
- X. JOANNES MARTINUS KUHN, Weissenfeensis-Thuringus *de nauigationis & pyxidis nauticae usu ac praeslantia vltima verba faciet germanice.*

SYNO-

SYNOPSIS

CLASSIUM EXAMINANDARUM.

Die IX. Octobr.

b. VII-XII.

1. Theolog. IV.
2. Latina V.
3. Graeca V.
4. exercitium orator. & exam. ordinis selecti.

b. II-V.

- | | |
|----------------------|------------------|
| 1. Theologica V. | 6. Hebr. II. |
| 2. Arithmet. II. | 7. Histor. I. |
| 3. Latin. III infer. | 8. Gallica II. |
| 4. Latin. III super. | 9. Geograph. II. |
| 5. Graec. III. | 10. Theolog. VI. |

Die X. Octobr.

b. VII-XII.

- | | |
|---------------------|------------------------|
| 1. Theolog. VII. | 7. Latin. II, super. |
| 2. Latin. VI. | 8. Mathem. ordinar. |
| 3. Graec. IV. | 9. Graeca II. |
| 4. Hebr. III. | 10. Latin. I. |
| 5. Latin. II infer. | 11. Theolog III super. |
| 6. Geograph. I. | 12. Music. II. |

b. II-V.

- | | |
|------------------|-----------------------|
| 1. Theolog. VII. | 6. Hebr. IV. |
| 2. Arithm. I. | 7. praeparat. mathem. |
| 3. Latin. IV. | 8. Geograph. III. |
| 4. Arithm. III. | 9. Theolog. IV. |
| 5. Latin. VII. | 10. Musica III. |



[0]



129 D: 7

